

propositiones nullam habent connexionem. Declaratur assertio. Nam isti auctores admittunt nobiscum esse necessarium auxilium simultaneum imbibitum in actione liberi arbitrii.

21. Neque enim negare possunt, ut eludant, primam causam per se et immediate influere in actionem creaturæ, neque etiam possunt negare quin actio liberi arbitrii, si supernaturalis sit, immediate ac per se sit ab aliquo principio supernaturali et gratuito physice in illam influente. Ergo, loquendo præcise de illo influxu simultaneo, objici eodem modo potest contra illos auctores, quod prius natura influat arbitrium quam gratia, quia hæc non influit prius secundum illum influxum; ergo posterius. Item sequitur Deum concurrere quia voluntas concurrat. Hæc autem non debent nec possunt admitti, in illa sententia, etiam respectu auxilii simultanei, quia nihil intelligi potest fieri a libero arbitrio sine illo simultaneo influxu; ergo necesse est ut etiam fateantur ex negatione prioritatis non inferri affirmationem posterioritatis, quia simultas excludit prioritatem et posterioritatem respectu ejusdem, et secundum eundem ordinem naturæ et causalitatis. Item fateri debent, ex concomitantia necessaria non sequi causalitatem inter concomitantia, quia non agunt solitarie, ut sic dicam, sed concurrente simul; ergo in hoc versatur eadem ratio in utraque opinione. Solum ergo superest quæstio de necessitate prævii concursus ante simultaneum, quæ controversia per hanc objectionem non attingitur, quia sive detur talis præmotio, sive non detur, semper est verum liberum arbitrium in operibus gratiæ nihil posse sine aliqua præmotione, et nullum opus posse agere aut inchoare, sine actuali influxu et concursu Dei proportionato operi voluntatis humanæ, et ejusdem ordinis cum illo. Nihil ergo sententiæ nostræ obstant propositæ objectiones; de aliis vero, ut lectoris fastidium levemus, in capitibus sequentibus, juxta occurrentes occasiones, dicemus.

CAPUT XXIV.

CONCLUDITUR VERA CONCORDIA LIBERTATIS AUXILII CUM EFFICACI AUXILIO, EJUSQUE NECESSITATE IN GRATIÆ OPERIBUS.

1. *Hæc concordia est præcipuus scopus in hac disputatione intentus.* — Hæc concordia in re ipsa jam explicata est; quia vero est præcipuus scopus et fructus in hac disputatione intentus, ideo breviter et clare proponenda est,

et nonnullæ objectiones dissolvendæ, ut per earum solutionem veritas illustrior fiat. Duæ vero sunt, ut sic dicam, partes libertatis, quæ integræ et illæsæ conservari debent secundum fidem, non obstante necessitate auxiliorum gratiæ etiam efficacium, quæ secundum legem ordinariam Dei hominibus dantur. Prior pars libertatis est quoad specificationem, seu contrarietatis, quæ requirit potestatem veram et moralem ad præstandum supernaturalem consensum vocationi, etiam in his hominibus qui vocationi sufficienti non consentiunt. Altera pars libertatis est quoad exercitium, quæ postulat potestatem non consentiendi vocationi, etiam in his hominibus qui vocationi consentiunt, et pro illo eodem instanti pro quo consentiunt, considerato prius natura quam consensus fiat. Quæ omnia satis patent ex dictis supra de libertate.

2. *Necessitas gratiæ efficacis optime convenit cum libertate quoad specificationem. Ratio.* — Dicimus ergo primo necessitatem gratiæ efficacis existentis in vocatione congrua optime convenire, seu in concordiam redigi cum libertate quoad specificationem. Ratio est, quia homo a Deo vocatus habet potestatem proximè sufficientem ad consentiendum si velit, ita ut sine alio præveniēte auxilio, vel prædeterminatione extrinsecus proveniente, possit cum effectu velle et facere id ad quod vocatus est; ergo talis homo, licet cum effectu non consentiat, liber est ad consentiendum. Antecedens probatum hactenus est contra alias sententias. Consequentia vero probatur quia, in illo homine, ordine naturæ præcedit vera potestas consentiendi per principia gratiæ, tam moralia quam physica, et potestas dissentendi per innatam libertatem, ut effectus ipse probat in his qui non consentiunt; ergo in tali homine, prius natura quam dissentiat, est vera libertas ad consentiendum, et consequenter quoad specificationem actus, seu libertas contrarietatis; hæc enim idem sunt.

3. *Eadem ratio aliter formatur.* — Secundo, ad majorem declarationem, eadem ratio aliter formatur, quia homini sufficienter vocato et non consentienti nihil deest ex parte gratiæ necessarium ad consensum, nisi auxilium gratiæ simultaneum, seu concomitans; sed hic defectus non est contrarius libertati; ergo. Major supponitur ex dictis. Minor probatur, quia, licet ille concursus ad extra non detur, esse potest oblatus et paratus ex parte Dei, et de facto ita offertur, quia secundum Scripturas, et promissiones, ac comminationes Dei, per

Deum non stat quominus homo consentiat et velit, postquam vocatus est; ergo id satis est ad libertatem. Probatur consequentia, quia hæc libertas consistit in proxima potestate sufficiente ad utrumque, et consequenter ex parte Dei habente paratum concursum: hoc enim intime imbibitur vel requiritur in proxima et integra potestate, ut supra probatum est; actualis autem concursus simultaneus non requiritur ad potestatem, sed ad usum ejus. Unde in actibus etiam naturalibus idem modus libertatis ad utrumque invenitur: licet in usu et in effectu homo unum tantum concursum ad unum actum, et non ad alium, in se recipiat, tamen, quia hoc ipsum per illum stat, et pendet ab usu libertatis ejus, ideo cum carentia talis concursus stat vera libertas ad eundem actum.

4. *Declaratur.* — Tertio declaratur, quia quod vocatio sit inefficax seu incongrua, non oritur ex Deo, sed ex homine, ut in superioribus probatum est; ergo talis vocatio, quæ in re est incongrua, confert homini potestatem qua liber simpliciter constituitur ad non reddendum vocationem incongruam; ergo incongruitas illa stat cum perfecta libertate ad consentiendum, alias non posset homini imputari, nec esse libera talis inefficacia, seu incongruitas. Et hoc confirmant illæ admonitiones Petri et Pauli: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, 2 Petr. 1; et: *Adjuvantes exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2 Cor. 6. Essent enim istæ exhortationes vanæ, nisi bonus usus gratiæ vel vocationis esset in proxima potestate recipientis. De quibus et aliis locis plura in capite sequente.

5. *Proponitur difficultas.* — Superest vero difficultas, quia vocatio seu auxilium efficax est simpliciter necessarium ut homo consentiat; sed hæc vocatio non datur homini qui non consentit; ergo deest illi aliquid necessarium ad consensum; ergo non est liber ad consentiendum. Probatur consequentia ex nostris principiis. Primo, quia vocatio congrua est necessaria tanquam unum ex prærequisitis ad operandum; ostendimus enim hoc auxilium efficax esse præmovens, et ordine naturæ antecedens operationem. Secundo, talis vocatio, etiamsi dicatur aliqua ex parte involvere auxilium simultaneum, nihilominus non solum non datur, verum etiam nec offertur a Deo, neque est in potestate hominis habere illam, quia nihil potest homo facere ut illam habeat, ut supra de prædeterminatione physica dice-

bamus. Rationes enim ibi factæ æque hic procedunt, quia nec immediate potest homo in se facere talem vocationem, nec media dispositione libera ad illam se præparare, cum omnis talis dispositio debeat ab aliqua congrua vocatione proficisci. Et confirmatur, nam illud est in nostra potestate, quod est in nostra voluntate, juxta illud Augustini, 1 *Retract.*, cap. 22: *Id est in nostra potestate, quod cum volumus facimus*; sed habere talem vocationem non est situm in nostra voluntate, sed est beneficium omnino gratuitum, nam ratione hujus vocationis potissime dictum est ab Apostolo: *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*, juxta sententiam Augustini in *Enchirid.*, c. 32, dicentis: *Quomodo non volentis, etc., nisi quia et ipsa voluntas, ut scriptum est, a Domino præparatur?* Præparatur autem per sanctam et congruam cogitationem, seu vocationem, ut ipse lib. de *Dono persever.*, c. 8, declarat, et in quæst. 2 ad *Simplician.*: *Nisi vocando, inquit, præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipiat facultatem bene operandi*; et infra expresse dicit nobis tribui non posse quod vocamur, præsertim illa vocatione quæ congrua dicitur, de qua inquit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Talis ergo vocatio, cui non datur, neque etiam offertur; ergo non est in potestate ejus; ergo neque in libertate; ergo nec effectus talis vocationis est in ejus potestate, aut libertate, cum ad illum sit necessaria talis vocatio, sicut nos contra necessitatem physice prædeterminationis argumentati sumus.

6. *Duo distinguenda ad difficultatem expediendam.* — Ad hanc difficultatem expediendam, et differentiam assignandam inter vocationem congruam et physicam prædeterminationem, duo attente distinguenda sunt. Nam aliud est vocationem, quæ homini de facto datur, esse congruam vel incongruam, aliud vero est quod Deus, præcognoscendo unam vocationem futuram congruam, aliam vero non talem futuram, elegerit unam vel alteram tribuere. Nam manifeste constat posse hoc secundum pendere ex sola Dei voluntate, quamvis primum etiam ex voluntate humana pendeat. Dicendum est ergo utrumque eorum verum esse. Nam, posita in homine sufficiente vocatione, et præcindendo ab omni præcognitione Dei circa futura, est in potestate hominis facere ut illa vocatio Dei congrua sit, quia illi simul offertur auxilium concomitans,

quo possit operari, si velit, et si de facto operetur, jam vocatio erit congrua, et ut talis erit a Deo præcognita, et libera eiectione collata. Neque obstat quod quidam objiciunt, quia nemo potest se disponere ad auxilium efficacax, saltem primum, neque illud impetrare aut emereri, nam ad hæc omnia supponi debet; ergo nec potest habere illud in sua potestate, etiam quoad hoc ut efficacitas auxilii pendeat ex libertate hominis. Respondemus enim negando consequentiam, quia illa potestas, quæ est in homine vocato, ut non reddat vocationem incongruam, non est remota, ut sic dicam, scilicet, per potestatem se disponendi ad aliquod auxilium, sed est proxime per potestatem cooperandi auxilio, seu vocationi, cum auxilio simultaneo sibi jam oblato. Atque ob hanc rationem necessitas vocationis congruæ non repugnat cum absoluta libertate et potestate ad bene operandum, etiam tum quando contingit vocationem non esse congruam, quia causa hujus defectus seu incongruitatis actualis in libero arbitrio fuit.

7. Difficultas autem posita non procedit contra hanc partem, sed tantum probat aliud secundum membrum, quod proposuimus, scilicet, non obstante hac dependentia congruitatis vel incongruitatis vocationis a nostro libero arbitrio, nihilominus manere in æterna Dei providentia et sola libera electione, quod decreverit dare huic homini in tempore vocationem quam prævidit ei futuram congruam, vel aliam non talem futuram, quia, cum in præscientia sua omnia præoccupet, potest velle quod sibi placuerit, et varias vocationes pro suo beneplacito distribuere, seu causas secundas ita præparare, ut hæc vel illa vocatio ad hunc vel illum hominem perveniat. Et hoc tantum est quod Augustinus in locis citatis docet, et probant rationes factæ, idemque confirmat argumentum proxime factum, quod homo non potest se disponere ad primam vocationem, etiam sufficientem; ergo multo minus ad congruam. Hæc ergo distributio, sicut et prædestinatio, voluntate Dei fit, et non habet causam ex parte hominis, ut infra latius dicam.

8. Unde, ut difficultas clarius solvatur, addendum est vocationem congruam ita esse necessariam ut consensus cum effectu detur, ut illa necessitas non sit ex parte principii, quatenus confert veram potestatem ad agendum, sed solum ex parte effectus, ut certo et infallibiliter futurus sit. Quæ necessitas maxime consideratur in ordine ad divinam præscientiam et

prædestinationem, ut voluntas prædefinitiva Dei possit infallibiliter impleri. Et ideo, non obstante necessitate vocationis congruæ, qui illam non habet, absolute et simpliciter habet potestatem operandi, quia ipse est in causa, ut vocatio quam habet congrua non sit. Neque refert quod non sit vel fuerit in hominis potestate recipere a Deo illam vocationem quam præcognovit futuram esse congruam. Quia ex parte ipsius consensus, vel potius ex parte principii ejus, non erat illa simpliciter necessaria ad tale opus vel consensum præstandum; poterat enim fieri per aliam vocationem, simpliciter et vere sufficientem, si homo illa uti voluisset, sicut posset; sed illa necessitas est solum ex præscientia Dei, qui prævidit hominem de facto non bene usurum alia vocatione, et illa necessitas quoad hanc partem est consequens liberum usum vel abusum in præscientia, et non est necessitas simpliciter et antecedens, et ideo carentia talis vocationis non est contra libertatem quoad specificationem respectu talis effectus.

9. Atque hinc tandem est apertum discrimen inter necessitatem physicæ prædeterminationis et congruæ vocationis. Nam physica prædeterminatio dicitur esse antecedenter ac per se, et natura sua necessaria ad omnem actum liberum voluntatis, et ideo si illa non datur, nec offertur a Deo, sed potius ex absoluto et antecedenti Dei decreto omnino negatur, actus simpliciter et omnino fit impossibilis voluntati; nullo enim modo est in potestate ejus. At vocatio quæ de facto est congrua, non est simpliciter necessaria, alia enim de se sufficeret, si homo illam non contemneret, sicut de vocatione Esau dixit Augustinus dicta quæst. 2 ad Simplician.; unde si quæ est in illa necessitas, non est antecedens, sed consequens. Quod ex alia differentia declaratur, nam physica prædeterminatio, si necessaria est, revera requiritur ex parte principii, ut det vel compleat posse, ut manifestis argumentis probatum est, etiamsi assertores ejus aliquando tergiversentur; ideoque qui talem prædeterminationem non recipit in se, absolute non habet potestatem integram et proximam, et quia illam non habet in sua potestate morali, ita ut facere possit aliquid ad obtinendam illam, neque potestatem remotam habet, ac subinde liberam quoad specificationem, nec illi potest imputari ad culpam carentia talis auxilii efficacis, et consequenter nec omissio effectus illius.

10. *Vocatio congrua duo habet.* — At vero

vocatio congrua duo habet, nam et est vocatio, et est congrua. Quatenus vocatio est, dat posse integrum et completum, tam morale, quam physicum, quia supponit vel principium physicum supernaturale, vel illud secum affert, ut declaravi capite 22. Quatenus vero congrua est, dat illud posse tali modo, vel in tali opportunitate, ut infallibiliter habeat effectum, et ideo dicitur sub hac ratione non solum dare posse, sed etiam agere, quia inducit infallibiliter ad agendum. Verumtamen intercedit differentia, quia sub priori ratione dat posse per se et independenter ab usu liberi arbitrii; sub posteriore autem ratione dat agere cum ordine ad usum liberi arbitrii a Deo prævisum, ad quem illa congruitas dicitur habitudinem. Et hinc fit ut possit dari integra potestas, et consequenter etiam integra libertas, sine congruitate vocationis, quia potest præcedere vocatio quæ det talem potestatem, et solum desinat esse congrua ex defectu liberi arbitrii, in cujus proxima potestate est bonus usus talis vocationis, et quia cum illo auxilio gratiæ non facit quod potest, ideo talis vocatio congruitate caret, quam posset habere. Et hoc modo congruitas talis vocationis est in potestate hominis, licet non sit in ejus potestate habere aliam vocationem quam Deus prænovit futuram congruam, et nihilominus illam dare noluit, quod non obstat libertati et potestati per aliam vocationem comparatæ.

11. *Efficacia gratiæ libertati arbitrii quoad exercitium actus non repugnat, sed media vocatione congrua optime concordat.* — Dico secundo: efficacia gratiæ libertati arbitrii quoad exercitium actus non repugnat, sed media vocatione congrua optime concordat. Assertio quoad priorem partem certa est de fide; modus autem hujus concordatiæ, licet sit obscurus, a nobis tamen explicatur in hunc modum. Quia duo requiruntur ad gratiam seu auxilium efficax prævium, unum est ut inducat voluntatem in consensum, aliud ut infallibiliter consequatur effectum; primum habet vocatio congrua ex se et ex natura sua, et hoc præcise spectatum non repugnat libertati, quia cum vocatione sic considerata manet indifferentia voluntatis, ita ut posset cum illa vocatione conjungi carentia consensus, si nulla alia suppositio fiat. Secundum autem non habet illa vocatio ex se sola, sed ut habet habitudinem ad effectum futurum, et prævisum a Deo, qui in sua præscientia falli non potest. Hinc ergo fit ut illa efficacitas vocationis optime simul

consistat cum libertate actus; quia quatenus illa vocatio spectatur ut congrua, jam involvit usum libertatis.

12. *Declaratur.* — Et hæc ratio concordatiæ maxime declaratur ex differentia inter infallibilitatem physicæ prædeterminationis et vocationis congruæ. Nam prior est infallibilitas in causa determinata prius natura, quam efficiat actum secundum, id est, in auxilio de se efficaci et prædeterminante voluntatem humanam, unde repugnat indifferentiæ requisitæ ad usum libertatis; hæc vero posterior est infallibilitas effectus, ut futuri a sua causa proxima, prævisa ut libere determinanda cum tali auxilio; unde necessitas quæ sequitur ex priori infallibilitate est necessitas omnino antecedens, quæ libertati repugnat; altera vero est necessitas consequens, quæ optime cum libertate consistit. Item prior infallibilitas seu necessitas nullo modo pendet ex libera potestate voluntatis, quia nec habere illam prædeterminationem est in potestate libera voluntatis, sed solum in potestate receptiva respectu liberæ voluntatis Dei, et post receptam illam determinationem non est in potestate voluntatis suspendere vel impedire actionem ejus; at posterior infallibilitas absolute pendet ex libero usu voluntatis, cujus prævisio supponitur in mente Dei per scientiam conditionatam, et inde est infallibilis connexio talis vocationis cum consensu libero voluntatis.

13. Unde ulterius in hoc modo efficacitatis vocationis congruæ non antecedit, vel tempore, vel natura, determinatio voluntatis humanæ ad unum in actu primo, sed semper intelligitur de se indifferens, etiam posita illa vocatione, ita ut præcise spectando talem vocationem, possit voluntas humana pro sua libertate illam facere non congruam, seu reddere inefficacem. Atque ita prima determinatio est illa quæ fit in actu secundo, concurrente simul ipsa libera voluntate; solum ergo præcedit vocatio ut habens habitudinem ad liberam determinationem voluntatis, futuram infallibiliter in præscientia Dei, quæ habitudo non solum potest esse simul cum libertate, sed etiam usum ejus in suo termino involvit. At vero in altero modo efficacitatis per physicam prædeterminationem, antecedit in humana voluntate determinatio ad unum in actu primo, ad quam voluntas humana libere non concurrat, et ab illa sic prædeterminata procedit postea actus secundus secundum ordinem causalitatis et nature, quod male potest cum libero usu circa eundem actum componi, quia talis effectus, ut

provenit a tali causa proxima, et in actu primo integre constituta, non est contingens, sed necessarius, nec procedit cum indifferentia ad non agendum, sed cum necessitate absoluta, ab extrinseco proveniente ad agendum. Ex comparatione ergo utriusque efficacitatis ita concludimus: infallibilis connexio inter præveniens auxilium efficax et consensum voluntatis tantum esse potest, vel antecedens et in causa, vel consequens et in præscientia aliqua futuri eventus in seipso; sed prior modus infallibilitatis non potest cum libertate actus concordari, ut multis modo ostensum est; ergo ideo cum illa concordat, quia non est infallibilis in causa per se spectata, sed ut habente habitudinem ad effectum infallibiliter in præscientia futurum. Ergo non potest aliter quam per vocationem congruam hæc concordia explicari, et cum illa optime constat.

14. Contra hunc autem concordiam modum multa nobis objiciuntur. Primum est quia procedit ex fundamento scientiæ conditionatæ, quod (ut quidam ait) omnes antiqui Doctores negant, et certum est (in ejus utique sententia) talem præscientiam non dari. Et quamvis hoc non sit certum, saltem negari non potest quin tale fundamentum sit dubium, ideoque videri debet insufficiens ad concordiam explicandam, quia de fide certum est gratiam, et prædestinationem Dei non tollere libertatem, dogma autem fidei non debet in dubio principio fundari. Hæc vero obiectio facile, et majori efficacia retorqueri potest contra physicam prædeterminationem. Nos enim sententiam quæ in illa constituit efficacitatem auxiliorum gratiæ falsam esse censemus, et, ut credimus, efficaciter probamus, et ex eo præcipue illam impugnamus, quod talis modus prævenientis efficacitæ concordari non potest cum actu nobis libero quoad exercitium, neque necessitas ejus potest cum libertate quoad speciem talis actus conciliari, in eo cui tale auxilium non datur. Ac denique etiam credimus antiquos Doctores majori ex parte tale genus prædeterminationis negasse, et alios plerisque illam non agnovisse, quod in sequentibus ostendemus. Et quamvis de hoc sit contentio, multo magis dubia est assertio talis prædeterminationis, quam scientiæ conditionatæ; nam (ut credimus) multo minori nititur auctoritate, et seclusis aliis testimoniis vel rationibus, in illa scientia nulla major invenitur repugnantia quam in absoluta scientia futurorum contingentium, et per se spectata decet Deum, pertinere ad perfectionem ejus; in prædetermi-

natione autem invenitur repugnantia respectu libertatis, et non pertinet ad perfectionem Dei, sed potius præ se fert violentum quemdam providentiæ modum. Incaute autem id nobis objiciunt, in quo ipsi majori ratione redargui possunt.

15. Et nihilominus in forma, respondemus ad priorem partem negando assumptum. Est enim illa sententia conformis Scripturis et antiquis Patribus, et omnino vera, quam multi ex adversariis jam negare non audent, licet in modo seu fundamento illius a nobis discordent, ut physicæ prædeterminationi ad hæreant, ex quo quanta illis incommoda sequantur in secundo prolegomeno ostendimus. Ad alteram partem, dicimus dogma fidei non fundari in dubio fundamento, quantum ad rationem credendi, sæpe autem explicari et defendi per fundamentum minus certum, quamvis probabilius. Sicut quod Spiritus Sanctus non sit filius, dogma fidei est, id autem a nobis explicatur, quia processio per voluntatem non est per modum similis, quod sub opinione est. Ita ergo in præsentia, licet concordia auxilii efficacis cum libertate sit dogma fidei, et de scientia conditionata non sit tanta certitudo, nihilominus hanc viam, ut saniores et magis accommodatam, eligimus, ad illud dogma fidei defendendum et explicandum, quod ad munus Theologi pertinet.

16. *Obiectio.* — Hinc vero objiciunt secundo, quia concordia hæc libertatis cum gratia, et Pelagianis visa est impossibilis, et Augustino et Patribus saltem valde obscura et difficilis; si autem hæc concordia sumenda esset ex usu libertatis præviso per scientiam conditionatam, res esset valde facilis et pervia, et ita nec hæretici habuissent occasionem exaggerandi repugnantiam gratiæ cum libertate, nec Augustino visa esset res adeo difficilis. Imo aliquando illam rationem esset aggressus ad hanc concordiam explicandam, quod tamen nunquam facit, sed semper in hoc negotio recurrit ad subjectionem intellectus in obsequium fidei, et recognitionem omnipotentiae Dei et justitiæ, ac bonitatis ejus, nihilque aliud respondendum putat, nisi quod Paulus homini dicenti: *Quid adhuc queritur? voluntati ejus qui resistet?* respondit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo; o altitudo divitiarum,* et: *Non est iniquitas apud Deum.* Ergo signum est hunc modum concordiam, quem nos assignamus, non esse verum, neque principii fidei consentaneum.

17. *Solvitur prima pars objectionis.* — Tres partes habet obiectio. Prima spectat ad rem ipsam, et in hoc fundatur quod hæc ratio concordiam est nimis facilis, cum tamen ipsa concordia semper visa sit obscurissima, præsertim Augustino, epistola 46, in fine, et 47, in principio, et in lib. de Grat. et liber. Arbitr., in principio. Respondemus hunc modum concordiam comparatum quidem ad obscuritatem et perplexitatem, quæ, posita physica prædeterminatione, in tali concordia invenitur, esse facilem et clarum, nihilominus tamen, absolute loquendo, esse valde supernaturalem, et multa includere quæ ab homine non comprehenduntur, licet utcumque concipiuntur. Nam imprimis scientia illa de futura libera determinatione voluntatis ex tali vel tali hypothesi, nimis est obscura et difficilis, necessariumque est fidei adjutorium ut ea credatur, quia divini excellentiæ et testimoniis Scripturarum est magis consentanea. Unde cum hæc concordia illam sententiam supponat, eo ipso difficilis est et obscura. Deinde, illa posita, superest illa difficultas quæ philosophos errare fecit, quomodo cum tali præscientia stet contingentia, quam novi quidam Theologi augent, dicentes hanc scientiam esse causam futuritionis effectus per eam cogniti. Imo etiam in ipso Deo non caret difficultate ad explicandum quomodo cum tali præscientia libere operetur, ut in proprio opere de illa scientia attigimus. Ad hæc, etiamsi scientia ipsa non tollat libertatem, adhuc obscurum est, quomodo gratia proveniens ex absoluto decreto Dei, etiamsi illam scientiam supponat, libertatem non impediatur, cum absolute voluntati Dei nemo possit resistere. Ac denique in executione, satis obscurum ac difficile est ad intelligendum quomodo voluntas divina et humana ita in effectione ejusdem actionis conveniant, ut neutra alteram ordine causalitatis aut prædeterminationis antecedit, quæ difficultas non tollitur per scientiam conditionatam. Nam in illamet scientia necessarium erit ut saltem sub conditione illa, quæ in tali scientia supponitur, proponantur illæ duæ voluntates ut conjunctæ, et quasi præparate ad efficiendam eandem actionem omnino simul natura sine prævia efficacia, vel prædeterminatione unius in aliam. Hæc ergo concordia quam assignamus non potest propter claritatem vel facilitatem contemni, cum difficultatibus seateat. Debet autem aliis præferri, quia in his difficultatibus nulla est quæ, vel repugnantiam aliquam cum aliquo dogmate fidei, vel contradictionem in rebus

ipsis ita præ se ferat, ut non sufficienter, imo et evidenter solvatur, saltem negative, ut aiunt, id est, ita solvendo argumenta, ut evidens sit non concludere. In alia vero ratione concordiam, quæ physicam prædeterminationem supponit, multa includuntur, quæ ita apparent, et inter se et cum dogmatibus fidei pugnantia, ut nobis non videantur sufficienter, nedum evidenter dissolvi.

18. *Secunda pars objectionis solvitur—Item tertia pars.* — Secunda pars objectionis erat de modo argumentandi Pelagianorum contra Augustinum; arguebant enim illum, quod introduceret fatum nomine gratiæ efficacis, seu vocationis ex proposito, quod nullo colore dicerent, si concordiam libertatis cum tali gratia ad scientiam illam mediam revocaret. Unde tertia pars illius objectionis est, quod Augustinus nunquam usus est tali scientia ad hanc concordiam explicandam. Verumtamen, quod ad Augustinum attinet, in prolegom. 2 ostendimus illum, et scientiam mediam agnovisse in Deo, et, ad nonnulla mysteria explicanda, illa usum fuisse; quomodo vero illam semper cum prædestinatione et congrua vocatione conjunxerit, infra in speciali capite declarabimus. De Pelagianis vero, sive illam scientiam ignoraverint, sive illam cognoverint, parum nostra refert, nam in hoc valde errabant, quod necessitatem auxilii gratiæ etiam adjuvantis, et simultanei, seu generalis concursus putabant repugnare libertati. Unde in objecto scientiæ mediæ (si eam agnoverunt) non admitterent posse includi auxilium gratiæ, ut ex hypothesi præsciretur quid esset voluntas cum illo subsidio libere operatura, quia credebant illam hypothesim destruere libertatem. Et ideo cogitare non potuerunt per scientiam hanc posse efficaciam gratiæ cum libertate conciliari. De Semipelagianis, certius est illam scientiam tribuisse Deo, male tamen illa usi sunt, non ad conciliandam libertatem cum vera gratia, sed ad defendendum bonum usum solius libertatis sine adjutorio gratiæ, et consequenter ad destruemdam veram rationem gratiæ, ponendo meritum gratiæ in merito solius liberi arbitrii, et tribuendo rationem meriti vel demeriti operibus nunquam futuris. Et hoc putarunt necessarium esse ad concordandam libertatem cum gratia, et ad salvandam in Deo generalem voluntatem salvandi omnes homines, ut constat ex Epistola Prosperi. Et quia D. Augustinus talem concordiam non admittebat, imo validissime impugnabat, dicebant illum introducere fatum, et similia.